

et eodem modo loquitur Scotus 2, dist. ultima; et juxta hanc sententiam ad argumentum negatur Deum esse causam peccati.

27. *Responsio altera.* — Sed tamen hic modus loquendi non placet Durando in eadem distinctione, q. 2, et Gabrieli, ibid., Marsilio, quæst. ultima: et eorum ratio esse potest, quia potestas peccandi non est aliud quam potestas efficiendi actum peccati hic et nunc, et hoc modo, et cum his circumstantiis: sed haec est a Deo; ergo. Confirmatur, nam cum Deus producit rem aliquam per se, producit quidquid est entitatis, et perfectionis in illa re, ex consequenti vero defectus naturales uniuscujusque rei: unde potestas ut res corrumperat a Deo est: tamen haec potestas non est malum culpæ, ut constat; ergo non venit a Deo; et de hoc modo loqui videntur Sancti aliqui quos refert Magister, distinctione quadragesima-quarta, et ita solvit etiam facile difficultas posita, quia licet Deus præsciat istam potestatem, non ideo id facit, ut ex ea sequatur peccatum, sed potius ut resistendo illi promereamur gratiam et gloriam, et ideo simul cum hac potestate dedit Deus homini lumen rationis, et naturalem propensionem ad id, quod honestum est, et præterea superaddidit gratiam, et originalē justitiam, ut facilius esset non peccare quam deficere: quod vero in natura lapsa infallibiliter sequatur peccatum ex hac potestate, primum non est ex defectu divinæ providentiae, sed ex hominis culpa, qui originalem amisit justitiam, deinde licet Deus a principio hominem in puris naturalibus crearet, ex quo foret certum aliquando peccaturum, non propterea esset peccatum in Deum referendum, quia non tenetur Deus aut non condere creaturas, aut præternaturales, vel spirituales virtutes illis conferre ne deficiant: nam ex his Deus multa bona elicet, vide Augustinum, lib. de lib. Arbit., et Eusebium, 6 de Præparatione, cap. 4.

28. *Judicium auctoris circa datas responsiones.* — Quod vero ad differentiam attinet inter istas sententias de causa propria peccandi fere pertinet ad modum loquendi, et uterque potest probabiliter sustineri. Et quidem quatenus potentia peccandi, præter omnem rationem positivam potentiae activæ, includit quamdam negationem perfectionis omnino connaturalem creaturæ, dici potest non esse a Deo, quia illa negatio nullam habet causam efficientem, et ita est conjuncta cum esse creaturæ, ut non possit creaturam facere sine hoc defectu. Si tamen potentia peccandi consideretur veluti proxime quatenus etiam includit

carentiam ejus auxilii divini, quo fieri posset, ut talis defectus creatura nunquam reducetur in actum: sic dici potest Deum per se, et directe velle creaturam carere hoc auxilio, atque adeo posse peccare, neque hoc est inconveniens, quia objectum illud non est malum, sed potius bonum, et potest habere optimum finem: verum est tamen Deum completere istam potestatem non agendo, seu potius subtrahendo, et hoc modo dixerunt Augustinus, de Natura boni, cap. 10, et Anselmus, de libero Arbitrio, posse peccare non esse posse, sed potius non posse.

29. *Ad quintum argumentum.* — Propter quintum argumentum Cajetanus, lib. 2 Regum, cap. 12 et 16, dixit Deum posse esse causam peccati non ut peccatum est, sed ut est poena alterius: sed hic modus loquendi in rigore non est usurpandus, quia simpliciter est falsus, nam, ut diximus contra hæreticos, esse causam peccati est intrinsecus malum; non ergo potest honeste fieri propter illum finem; non ergo facit Deus peccatum, sed permittit in poenam præcedentis ad eum modum, quo supra de induratione diximus: quid vero sit in peccato subsequenti, poena præcedentis, dicuntur, disputatione sequenti.

DISPUTATIO VII.

DE EFFECTU ACTUALIS PECCATI, QUI EST POENA.

Divus Thomas 1, 2, quæstione octuagesima-quinta, communiter disputat de effectu originalis et actualis peccati: sed ut materiam de actuali peccato absolvamus, explicandi sunt prius a nobis proprii effectus ejus: postea vero dicimus quæ sunt propria originalis peccati. In actuali ergo peccato duo sunt, positivus actus et malitia: ratione actus habet unum effectum, scilicet habitum inclinantem ad similes actus, de quo infra forte dicemus: ex hoc tamen sequitur eam facilitatem et propensionem, quam voluntas habet innatam ad prosequendum honestum, peccatis diminui, seu potius impediri, non quod illa in se minor fiat, aut remittatur, sed quia propter adjunctum habitum sit minus idonea, et apta ad bonas actiones proprias, et hoc modo diminutio, vel corruptio boni naturæ inter peccati effectus numerantur, juxta illud Psalm. 47: *Corrupti sunt*, etc. Et hac de causa hoc naturæ bonum, ut divus Thomas advertit, nunquam tollitur omnino per peccatum, quia non per ablationem, sed per additionem minuitur, propterea

DISPUTATIO VII. SECTIO I.

dixi potius impediri, et habitus, quantumvis angeantur, nunquam per se loquendo, eventunt rationis usum, neque tollunt naturam libertatis et voluntatis: ex quo etiam sequitur istum effectum proprie non uno, vel altero peccato fieri, quia unus actus non generat habitum, vel adeo imperfectum, ut moraliter censeatur nihil impedire: constat etiam ex dictis hunc effectum non fieri peccato omissionis per se, sed solum ut includit aliquem actum, quæ omnia facilia sunt, licet Durandus 2, distinct. 34, quæst. 4, in nonnullis contradicit, magis de nomine, quam de re disputans: lege Cajetanum, citato loco. Posteriori ratione, scilicet ratione malitiæ, tribuuntur peccato multi effectus, licet eos non physice, sed morali modo efficiat, scilicet aversio a Deo, et offensio Dei, macula animæ, et reatus poenæ, et poena ipsa: tamen aversio, si actualis sit, non est effectus, sed potius ipsa forma peccati: si vero sit habitualis, eadem est cum macula et peccato habituali, et idem fere est de offensione, ut statim dicam: et ad hunc etiam effectum revocatur alius, quem divus Thomas, quæst. illa 85, art. 4, numerat, scilicet privatio modi speciei et ordinis, nam quatenus privatio istarum rerum est in actu ipso pertinet ad formale peccatum, quatenus vero velut habitualiter manet in operante, pertinet ad peccatum habituale, et privationem gratiæ: quare de duplice tantum effectu dicendum superest, scilicet macula, quæ fere nihil distinguitur ab habituali peccato de quo infra et poena de qua jam dico.

SECTIO I.

Utrum poena, et poenæ reatus sit proprius effectus peccati ejus qui punitur.

1. *Pœna proprie quid.* — Suppono poenam proprie esse incommodum aliquod naturæ, vel voluntati contrarium, quo possit malum culpæ vindicari, et aliquo modo ea ratione sit inflictum: nam licet omne malum quod non est culpa in rationali creatura, habeat rationem poenæ, ut indicat D. Thomas, 1 parte, quæst. 48, tamen proprie non haberet rationem poenæ, nisi resiceret culpam, ut dicit Augustinus, 1 Retractionum, c. 9, licet Gabriel 2, distinct. 76, alio modo loquatur, sed non recte, nam mala, et effectus naturales, qui reperiuntur in brutis, non alia ratione non vocantur poenæ, nisi quia non sunt propter culpam. Hæc autem poena interdum ordinatur

4. *Objectio contra explicationem reatus.* —

non solum ad vindictam peccati, sed etiam ad medelam peccatoris, et hanc D. Thomas, 1, 2, quæst. 87, art. 7, non vult vocari poenam simpliciter, sed medicinalē: idem D. Thomas in id Joan. 9: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

2. *Prima propositio.* — Prima propositio. Omnis culpa digna est aliqua poena, et hoc modo poena et ejus reatus est effectus culpæ. Est conclusio de fide, ad Romanos, 2: *Tribulatio, et angustiæ in omnem animam hominis operantis malum*; Matth. 25, *Ibunt hi in supplicium æternum*, etc. Ratio ex D. Thoma, q. 87, a. 4, est, quia ad potestatem superioris pertinet vindicare et cohibere peccatum; ergo qui peccat hoc ipso subditur tali potestati. Vide Augustinum, 1 Confessionum, cap. 1, 2. Adverte autem reatum poenæ vocari a theologis illud debitum vel obligationem ad poenam, quæ ex peccato nascitur, de quo D. Thomas et alii, 2, distinctione 41, q. 4, et in distinctione 14, quæst. 4.

3. *Obligatio ad poenam duplex.* — *Reatus quid.* — Duobus autem modis potest aliquis obligari ad poenam, uno modo non voluntarie, sed solum ratione culpæ: secundo propria voluntate, et sine culpa, ut cum quis vult satisfacere pro alio. Hæc secunda obligatio non dicitur proprie reatus, nam Christus non fuit simpliciter reus poenæ, licet fuerit debitor, ut fidejussor. Quare D. Thomas poenam respondentem priori obligationi vocat poenam simpliciter, quia omnino est involuntaria, alteram vero cum addito solum, nempe satisfactoriam. Ex quo etiam colligitur reatum poenæ non esse idem, quod est culpa, formaliter loquendo, quia culpa consistit in voluntaria deordinatione ab ultimo fine, non sic reatus poenæ saltem temporalis, secundum fidem definitam in Tridentino, sess. 6, capit. 24, et canone 2, et sess. 6, cap. 1. Quod si quæreras quid in re ipsa sit iste reatus, respondeo non esse accidens aliquod quasi physicum, quod inhæreat in illo qui peccavit, sed solum morale debitum, quod quis peccando contraxit, quod nihil aliud est, quam ratione offense commissæ aliquem posse secundum rectam rationem puniri: unde ex parte Dei, vel judicis, importat jus quoddam morale, quod acquirit ad vindictam de peccatore sumendam: et hac peculiari ratione solet dici peccatum offensa, quatenus ex se habet provocare Deum ad justam iram. Videatur D. Thomas, in 4, d. 19.

Ex quo etiam colligitur reatum poenæ non esse idem, quod est culpa, formaliter loquendo, quia culpa consistit in voluntaria deordinatione ab ultimo fine, non sic reatus poenæ saltem temporalis, secundum fidem definitam in Tridentino, sess. 6, capit. 24, et canone 2, et sess. 6, cap. 1. Quod si quæreras quid in re ipsa sit iste reatus, respondeo non esse accidens aliquod quasi physicum, quod inhæreat in illo qui peccavit, sed solum morale debitum, quod quis peccando contraxit, quod nihil aliud est, quam ratione offense commissæ aliquem posse secundum rectam rationem puniri: unde ex parte Dei, vel judicis, importat jus quoddam morale, quod acquirit ad vindictam de peccatore sumendam: et hac peculiari ratione solet dici peccatum offensa, quatenus ex se habet provocare Deum ad justam iram. Videatur D. Thomas, in 4, d. 19.

Sed objicies reatum poenæ non esse quid distinctum a culpa, nam per ipsam culpm est homo dignus pena, et confirmatur, nam reatus poenæ est quoddam malum, ut patet ex D. Thoma, 1, 2, q. 88, art. 4, et 2, et non est poena ipsa; ergo est culpa. Unde D. Dionysius, 4, cap. de divinis Nominibus: *Puniri non est malum, sed fieri poena dignum*, quod de malo culpæ necessario est intelligendum. Respondeo hominem esse dignum poena pro culpa tanquam per radicem, et ideo esse dignum poena, vocatur a Dionysio *malum culpa*, non in se, sed in radice, quo circa hie reatus est quid medium inter culpm et poenam, et ad illam revocatur, nam ex parte termini pertinet ad poenam, ex parte vero judicis ad culpm; magis vero videtur pertinere ad culpm; quia revera antecedit poenam, et inseparabiliter conjungitur cum culpa, unde proprie fieri a Deo non potest, sicut neque culpa.

5. Secunda propositio. — Secunda propositio. Poena medicinalis infligi potest sine culpa. Est communis. Probatur Joan. 9 de poena cæcitatatis: *Neque hic peccavit, nec parentes ejus*. Jacob 1: *Beatus vir qui suffert tentationem*, etc., et ex Patribus, quos refert Magister, in 4, dist. 48, et ratio est, quia revera non est poena, sed medicina, quæ majus affert bonum, quam incommodum.

6. Dubium insurgens. — Sed quæres, an hæc medicinalis poena consistat semper in privatione honorum fortunæ, vel corporis, an etiam in privatione honorum spiritualium, et auxilii divini? Divus enim Thomas simpliciter negat hujusmodi spiritualem poenam infligi tanquam medicinam, quia maximum bonum hominis consistit in influxu virtutum, et in unione ad Deum; ergo privari his est maximum malum, non ergo potest esse medicina. Contra vero est, quia sæpe Deus negat peculiare auxilium, et protectionem permittendo labi in peccatum, ut ferventius quis resurgat. Respondeo primo, per se et ex vi hujus mali, et privationis magis impeditur homo, quam juvetur ad profectum virtutis, et ideo per se hæc non vocatur medicinalis poena, licet ex misericordia et potentia Dei possit converti in majus bonum, unde secundo crediderim nunquam Deum uti ista medicina, nisi prius homo aut negligenter, aut vero superbe divinis utatur donis, quia cum per se afferat maximum malum, non est ex his medicinis, quæ sine præcedenti culpa adhibentur.

7. Tertia propositio. — Tertia propositio. Poena satisfactoria necessario supponit cul-

pam, non tamen semper in eo, qui poenas luit. Prima pars constat, quia satisfactio non habet locum nisi ubi præcessit injuria. Secunda vero pars est de fide, et patet in Christo, et in justis etiam, qui pro aliis satisfacere possunt, ad Ephesios et ad Colossenses, 4: *In quo habemus redēptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum*: et in Trid., sess. 14, cap. 8. Ratio sumitur ex conjunctione charitatis, ex qua efficitur, ut omnes justi conficiant unum corpus, juxta Paulum 2, Corinthi. 12, et ad Ephes. 4, de qua re alibi late dixi.

8. Quarta propositio. — Quarta propositio. Poena simpliciter semper est effectus alicuius culpm. Est etiam communis theologorum: et fere patet ex dictis, quia poena et culpa correlative sunt. Confirmatur, quia omne opus Dei est *misericordia*, et *veritas*, et ideo nunquam infert homini malum, nisi vel ob majus bonum ejus, quod est misericordia, vel in vindictam culpm, quod est justitia. Contrarium sentit Durandus 2, dist. 36, quæst. 3, quia parvuli sine actuali peccato patiuntur poenas sensus, quæ non debentur etiam originali peccato: videmus etiam homines sine culpa affici gravissimis poenis, etiam per injuriam a pravis hominibus. Respondeo non agere nos de pœnabilitibus, quæ quasi necessario consequuntur naturam humanam, nam hæ sæpe ex originali peccato trahunt originem, ut infra dicam; sed loquimur de his poenis, quas Deus infligit, et hæ si non sunt medicinæ, semper sunt propter culpm. Sed quid de judicio humano? Nam contingit interdum ut lex humana obliget ad poenam sine culpa. Respondeo eam tunc non obligare hominem ad poenam ex merito sua actionis, sed ex potestate superioris, qui ob commodum reipublicæ id potest præcipere: nam tunc illa proprie, et in rigore non est poena, sed veluti tributum, aut impositio quædam sub tali conditione. Vide D. Thomam, 2, 2, q. 136, art. 9.

9. Quinta propositio. — Quinta propositio. Spiritualis poena nunquam imponitur sine propria culpa ejus qui punitur. Est communis, et habet verum tam in judicio humano, quam in divino, et in presenti vita et futura, et hoc modo sæpe Scriptura dicit unumquemque recepturum juxta opera sua: et Deum neminem deserere, quod est spiritualiter punire, nisi prius deseretur ab ipso: imo aliqui theologi putant de potentia absoluta fieri non posse ut aliquis puniatur poena, præcipue æterna, nisi ob propriam culpm, quod indicat Scotus 2, dist. 41, q. 1, Marsilius, q. 46, et Ekius, cen-

turia 6, quod verum est quasi formaliter, et relative loquendo de poena: negandum tamen Deum non posse, quatenus supremus Dominus est, sine culpa inferre homini totum illud malum, quod Gregorius, Gabriel, et alii docent, dist. 41, et videri potest Boetius 4, de Consolatione, prosa 5. De judicio humano etiam est res manifesta, nam hoc ut sit rectum, debet esse conforme divino, et quia bona spiritualia maxima sunt, et personalia, docet hoc Pontifex, c. *Quæsitum, Extra. de His que sunt a majori parte capituli.*

10. Sexta propositio qua duæ sententiae Patrum concordantur. — Una sententia. — Sexta propositio. Etiam poena corporis, et qualibet alia, non infligitur a Deo, nisi in eo qui punitur, sit sufficiens culpa, et meritum illius poenæ, licet interdum simul infligenda ista poena, respiciat Deus ad aliena peccata. Ista conclusio reducuntur in concordiam duæ sententiae Patrum, quas late disputat Adrianus, quodlibeto 12. Prima affirmit Deum sepe punire homines ob aliena peccata, ex illo Exod. 20: *Ego Deus zelotes visitans peccata patrum in filios*. Filius punitur propter patrem, et populus propter peccatum principis, et sæpe Deus jubet occidi indifferenter omnes homines alienus totius reipublicæ, vel civitatis, in quibus sunt multi parvuli, et forte justi, Genes. 1 et 19; Regum 2, cap. 22 et 34. Unde Augustinus, libro Questionum in Josue, quæst. 8 et 9, exponens illud Deuteronom. 24: *Non occidetur filius pro patre*, dicit intelligendum esse ab homine, nam Deus, inquit, sæpe id facit, quod late etiam prosequitur 6, contra Julianum, cap. 18 et seq., indicat Gregorius, 45 Moralium, cap. 34, Eusebius, lib. 12, de Præparatione, cap. 25, et sentiunt hoc multi cum Magistro 2, dist. 36. Et ratio esse potest, quia propter conjunctionem naturalem, quæ est inter patrem et filium, vel civilem, quæ est inter partes ejusdem civitatis inter se et cum principe, poena unius ad alterum derivatur.

11. Altera sententia. — Secunda vero sententia simpliciter negat Deum punire aliquem nisi ob propriam culpm, ex illo Exod. 18: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Quæ loca D. Augustinus, lib. 6, contra Julianum, c. 12, dicit esse intelligenda de tempore gratiæ, nam antea patiebantur filii ob peccatum patris, quia justi detinebantur ab ingressu coeli ob peccatum primi parentis; sed hoc non est proprium dictum, alias etiam nunc parvuli privarentur beatitudine ob peccatum parentum, quod ipse damnat tanquam Pelagianum, libr. 4, contra

duas epistolas Pelag., cap. 4, ubi etiam dicitur fuisse proprium, Christum occisum ob peccatum alienum, et Pelagianos auferre Christo istam prærogativam. Præterea Ezechiel aperte loquitur de tempore legis antiquæ, et ita intelligit Hieronymus, ibi, et Gregorius, supra, et Anselmus, de Conceptu Virginali, cap. 25, et Chrysostomus, homilia 28, in Genes. Qui omnes tenent istam sententiam et exponunt filios puniri usque ad quartam generationem, quia frequentius contingit usque ad illam filios imitari parentes: consentit etiam Augustinus, lib. contra Adimantum, discipulum Manichei, cap. 7, licet aliter interpretetur, *quatuor generationes*, id est, quatuor ætates ab Abraham: idem psalm. 108. Confirmatur: nam Scriptura dicit Deum non punire justos cum impiis, Genesis 18, Jeremiæ 48, et Malachijæ 3, Ecclesiastici 33, et hanc sententiam videtur magis sequi D. Thomas: ratio esse potest, quia hoc est magis consonum benignitati et justitiae divinæ, et ipsi rationi culpm, nam cum illa sit radix poenæ non videtur conveniens, ut ubi culpa non est, sit poena.

12. Quomodo concordentur dictæ sententiae. — Istæ, inquam, sententiae ex nostra conclusione videntur ita conciliari, si dicamus Deum neminem afficere majori poena, quam ipse sit dignus ratione culpm, quam in se habet, et hoc vult secunda sententia, et recte id convincit; interdum tamen fieri dico ob peccata parentum ut is punitur, qui alias non punitur, non quia non mereatur alioquin poenam, sed quia Deus dissimularet et conniveret, nisi accederet peccatum patris, vel principis, et hujus signum est, quia sæpe in Scriptura occiduntur filii etiam post mortem patris, ex qua jam nulla accrescit poena patri, et tamen dicuntur puniri ob peccatum patris; ergo signum est illam poenam tunc non esse poenam solum parentum, sed etiam filiorum ipsorum per se, atque adeo ob eorum culpm, licet simul respiciat Deus ad culpm patris.

13. Qua ratione alia verificetur sexta propositio. — Præterea verificari potest conclusio alio modo: nam sæpe Deus ob peccata parentum negat filiis singularia beneficia et auxilia, quæ sub hac ratione habent rationem poenæ: tamen ex parte filiorum non deest causa; quia sine ulla etiam culpa posset negare Deus hujusmodi beneficia; ergo propter quæcumque quæ in filiis reperiatur, et nunquam deest. Videatur de hac re late Abulensis, Josue 6 et 7, et Matth. 5, a quæst. 320 et sequentibus, et

Chrysostomus, hom. 1 et 4, in Isaiam, et super psalmum 3.

14. *In judicio etiam humano procedit eadem propositio.* — Et ex his facile constat quid dicendum sit circa hoc de judicio humano, per se enim non potest puniri in hoc judicio filius poena temporali, neque spirituali, neque e contra: quia hoc non esset secundum rationem justitiae, et patet Deuteronom. 24: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, etc., et 2 Regum, 14; tamen indirecte, et consecutione quadam fieri potest, ut poena patri imposta, praeципue in bonis fortunae, redundet ad filios, ut cum puniuntur, vel fortunis, vel nobilitate, vel fama, de quo diximus in tomo de Fide, disput. 22 et sequent. Vide D. Thomam, 2, 2, q. 108, et Castro, de justa Hæreticorum punitione, l. 2, c. 10, et Jurisconsulto, c. Ita nos, 25, q. 2.*

SECTIO II.

An peccatum possit esse poena peccati.

1. *Quæ antecedunt, vel sequuntur culpam possunt esse ejus poena.* — Explicata ratione poenæ, sequitur, ut explicemus ejus qualitatem: et quia omne malum hominis, non est culpa, sine controversia potest subire rationem poenæ, de sola culpa tractat hanc quæstionem D. Thomas. In culpa tria possunt considerari, quædam antecedentia, ut permisso et derelictio Dei: quædam subsequentia, vel concomitantia, per modum effectus, ut tristitia, fatigatio, etc., et peccatum ipsum. Duo ergo sunt certa apud theologos: primum ea quæ antecedunt unum peccatum posse esse poenam prioris peccati, quod videtur de fide, ex illo ad Romanos, 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Secundum est, ea quæ sequuntur ex peccato etiam esse poenas peccatorum, juxta illud, *lassati sumus in via iniquitatis*, et ad has reducitur vermis conscientia, de quo Augustinus, 1 Confessionum, cap. 12, ubi habet illam celebrem sententiam, *Jussisti, Domine, et sic est ut omnis iniquus animus sibi ipsi sit poena.* Jam de peccato ipso est controversia.

2. *Prima sententia de ipsa culpa.* — Prima sententia est negantium ipsum peccatum secundum se, posse habere rationem poenæ, quæ videtur aperte D. Thomæ 1, 2, quæstione 87, art. 2; eam late defendit Cajetanus, et omnes Thomistæ, et Durandus 2, distinct. 36, quæstione 2. Fundamentum est, quia culpa et po-

na habent rationes contrarias; ergo, etc. Antecedens patet, quia culpa consistit per se in actione, poena in passione, ex Augustino 1, de libero Arbitrio. Deinde culpa est per se voluntaria, poena essentialiter involuntaria. Deinde ex eodem Augustino, libro de Fide ad Petrum, poena per se est objectum justitiae, unde directe potest intendi, et appeti, culpa nullo modo potest juste amari: unde confirmatur: nam Deus est auctor omnis poenæ, juxta illud Amos 2: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus, scilicet malum poena.* Confirmatur secundo: quia si culpa ipsa esset poena sui ipsius, esset sibi sufficiens poena, atque adeo non mereretur aliam, sicut quia actus virtutis per se est sufficiens præmium sui ipsius, in rigore justitiae non debetur illi aliud præmium.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia affirmit culpam ipsam secundum se esse vere et proprie poenam, licet sub diversa ratione formalis, ut explicabimus: tenet multi cum Magistro, in 2, dist. 36, Bonaventura, quæstion. 1 et 3, Gabriel, quæst. 1, et ibi divus Thomas, quæstionē tertia, et quæst. 4, de Malo, articulo quarto, Scotus 2, distinct. 77, quæstionē 3, et refert Conradus, citata quæst. 87. Fundamentum est, quia duo sunt in peccato, actus et inordinatio: utrumque autem videatur habere rationem poenæ. Primum patet, nam affici dedecore, vel turpitudine, vel quavis alia prava qualitate potest esse poena. Item ipse habitus malus, qui ex actu generatur, est etiam poena, hoc enim modo inducitur in Scriptura dicitur peccatoris poena: actus etiam terroris, et tristitiae, et similes, qui sunt animæ disconvenientes, sunt poena; sed ipse actus peccati est magis homini disconveniens, quam ista omnia; ergo.

4. *Secundum de inordinatione probatur primo,* quia licet, ut a peccatore committitur, habeat rationem culpe, tamen quatenus in ipso peccatore manet, et prave illum afficit, potest dici poena. Probatur secundo, quia ita videtur loqui Scriptura, nam Paulus ait: *Tradidit eos Deus ut faciant ea, quæ non convenientia;* et Apocal. 22: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Eodem plane modo loquitur Augustinus, libro de Natura et Gratia, cap. 22, et libro de Gratia et libero Arbitrio, c. 20, et 3, contra Julianum, cap. 3, et in Psalm. 57, Chrysostomus, homilia de Adam et Eva, Gregorius, homilia 11, in Ezechielem, et 12, Moralium, cap. 25, et saepè Isidorus, lib. 2, de Summo bono, cap. 49. Confirmatur, nam nihil illi

DISPUTATIO VI. SECTIO III.

585

deest ad rationem poenæ, nam imprimis ista deordinatio est summum malum, et maxima deformitas ejus, qui peccat, deinde non debuit sufficiens ratio involuntarii, nam imprimis deordinatio ipsa non est de se amata, sed solum indirecte, quomodo etiam poena est quodammodo indirecte voluntaria. Præterea illa inordinatio est contra summam perfectionem, et appetitum naturæ, et bonum ejus: et hoc sufficit ad rationem poenæ: nam licet aliquis se voluntarie occidat, tamen mors illa erit malum poenæ in illo: sic etiam tristitia voluntatis poena est, et tamen est actus ejus, et eo ipso voluntarius. Denique illa inordinatio potest etiam esse involuntaria, quatenus is qui peccat, nolle aliquam inordinationem contrahere, ex quo recte intelligitur formalis differentia inter culpam et poenam, licet in eamdem rem convenientia: nam culpa per se, et formaliter complevit voluntario, poena involuntario, et ideo illa dicitur consistere in actione, quia in agendo est per se libertas, non in patiendo; poena vero potius in passione quadam. Et explicari potest a simili in actu penitentiae quatenus est actus virtutis et poena. Dices istam non esse poenam, quia non est inflicta, sed permissa. Contra, nam permissio ipsa potest a Deo esse directe volita et intenta, et cum sit de malo quodam nimisdisconvenienti naturæ rationali, satis magna poena est. Præterea obstinatio damnatorum, et induratio peccatoris est poena, et tamen non fit, sed permittitur a Deo. In hac controversia unum potest esse, quod maxime ad rem spectat, cetera vero ad modum loquendi.

5. *Prima propositio.* — Prima propositio. Peccatum per se non potest esse ita poena peccati, ut Deus propter demeritum unius peccati ordinet alius a peccatore fieri, neque propter ea illo modo peccatorem directe inclinat, aut movet ad novum peccatum, quod dicitur poena peccati. Hanc arbitror esse de fide, ex dictis, disp. præc., contra hæreticos, et hoc saltem modo verificari potest, quod D. Thomas, ait, peccatum scilicet, ut culpa est, non posse per se esse poenam, id est, tanquam per se intentatam a judice in vindictam peccati, et hoc solum videtur pertinere ad quæstionem de re ipsa, unde de modo loquendi dico secundo.

6. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Licet quodam modo, et late, peccatum ipsum possit dici poena peccati, non tamen ita proprie et in rigore. Prior pars constat satis ex dictis, n. 4 et 5, pro secunda sententia: ideo enim Deus permittit unum peccatum in poenam alterius, quia re vera peccatum ipsum est ma-

gnum quoddam malum ipsius peccatoris. Secunda vero pars probatur, quia, ut D. Thomas, quæst. illa 87, art. 4, ait poena ordinatur ad restituendum ordinem quem culpa destruxerat; non ergo quodcumque mali peccatoris, licet maximum sit, est propria poena peccato per se debita, sed illa, qua pristinus ordo restituitur: peccatum autem ipsum secundum se non est hujusmodi, quia neque deprimit peccatorem, neque per se illum subjicit potestati ejus, contra quem peccando surrexerat. Confirmatur: nam poena proprie et per se debita peccato est illa, ad quam peccator compelli potest, velit, nolit: non est autem hujusmodi peccatum ipsum. Alii duplum poenam distinguunt, unam contractam, aliam inflictam, et hanc secundam rationem dicunt ipsi convenire peccato, non primam: quod tamen in idem redit, et totum ad modum loquendi spectat, res enim ipsa constat.

SECTIO III.

Utrum poena peccato mortali debita sit infinita et æterna.

In hac quæstione solum est nobis dicendum de illa poena, quam jam certa lege Deus statuit, et quæ veluti per se debetur peccato: nam poenæ aliae veluti extraordinariæ, et quæ etiam infliguntur legibus humanis, infinitis modis fiunt, et ideo solum hoc in genere dicere possumus poenam istam debere esse commensuratam culpe, eamque judicio prudentis viri pensandam.

1. *Prima propositio.* — Prima propositio. Unicuique peccato mortali duplex respondet poena, damni et sensus: est certa et communis theologorum. Poena damni continetur in his Scripturæ locis, quæ docent hominem propter peccatum privari regno cœlorum 1, ad Corinth. : *Regnum Dei non possidebunt, et Matth. 25, Clusa est janua, et infra: Ite maledicti, etc., c. 3, explicatur multis parabolis: poena vero sensus continetur in illis locis in quibus fit mentio ignis inferni.* Videatur divus Thomas, dicta prima parte, quæst. 64. Rationem afferit idem divus Thomas, quia in peccato duo sunt: conversio ad commutabile bonum, et aversio a Deo: utrique ergo merito debet correspondere sua poena: aversio merito respondet poena damni, ut qui voluntate Deum dereliquerit, ejus amicitia et conspectus involuntary privetur in aeternum; conversio autem respondet poena sensus, ut quantum